FRANCISCI FRIZIMELICÆ ... DE BALNEIS METALLICIS ARTIFICIO...

Francesco Frigimelica


1068.1

FRANCISCI
FRIZIMELICÆ
PATRICII PATAVINI

Medicinæ in Lyceo patrio quondam
Professoris clarissimi

DE BALNEIS METALLICIS ARTIFICIO PARANDIS
LIBER

Postumus noui argumenti

E Bibliotheca IOANNIS RHODII.

BIBLIOTECA NAZIONALE
1872

PATAVII clɔ Iɔc LIX.

Apud Sebastianum Elpidium. *Sup. Permissu.*

AMPLISSIMO VIRO

HIERONYMO FRIZIMELICÆ

Medicinæ Professori celeberrimo

IOANNES RHODIVS

F. P.

NATVRA pàrens mortalium necessitati non ita in totum prospexit, quin humanæ industriæ aliquid relinqueret. Non fruges, non vites, non stirpes, imo nec genialis pecudum fœtura summi opificis decreto citra coloni diligentiam proveniunt. Argenti, æris, ferri dites venæ ex terræ visceribus eruuntur. Quorum ad vitæ conseruationem vis maxima: sed metallorum præcipue stagnis calentibus miracula non cuilibet solo concessa. Naturæ igitur defectus, humanæ mentis industria supplendus fuit. Deus autem ex occulto in-

genia producit, arteſq; Diuino Seni ſunt θεῶν χαρίτες, quibus æternæ Reipublicæ Venetæ munificentia Patauinum Lyceum per omne ævum floruit. Cujus inter plures primi nominis Doctores præclaris variæ doctrinæ monumentis pro virili gloriam illuſtrauit FRANCISCVS FRIZIMELICA; quibus non ſolum impenſi publicæ ſaluti cura; ſed duorum Pontificum tuendæ valetudinis ſtudium lucem invidit. Eorum commodis ne ſtuſtrarentur poſteri, ſuaque dignus laude magni viri labor, hunc præ ceteris quantiuis pretii Libellum medicorum experimentis committendum cenſui. Tu tanti nominis heres meritiſſimus, perſpecta patriæ muneribus atque honoribus integritate, ſummiſque in omnes, præcipue ciues tuos officiis, tot virtutum æmulus ac propagator illuſtris, perpetuum mei in te ſtudii ſummæque voluntatis pignus lubens accipe, auitamque domeſtici decoris famam longo ævi ſpatio extende. Patauii Calendis Ianuar. Anni CIↃ IↃC LIX.

LECTORI BENEVOLO.

Mercibus externis non secus foro consulitur, quam indigenis, modo vitæ utiles. Nec minus de literis merentur, qui aliena cogitata quam sua proferunt. Horum exemplo, noua iuuentionis à nemine quod sciam ante FRIZIMELICAM *confecta, mole paruum, pondere maximum, è scriniis meis opusculum extra ambitionem producitur. Quo argumenti nouitate commendatius erit, eo gratius futurum confido, inuitamento haud leni ad eorum copiam, quorum auspice Numine non semel spem feci.*

SENECA EP. XXXIII.

Patet omnibus veritas, nondum est occupata: multum ex illa etiam futuris relictum est.

SERIES CAPITVM.

Cap. I. De Aquis in genere, & de Generatione ipsarum. pag. 2

Cap. II. De Speciebus Metallicarum Aquarum, & de Signis ipsarum. 6

Cap. III. Num quid sit possibile artificio, his deficientibus, illis similes parare. 9

Cap. IV. Quod tutius interdum arte parata Aquæ Metallicæ administrantur, quam confecta à natura. 12

Cap. V. Quo pacto hæ Aquæ Metallicæ parentur in genere. 15

Cap. VI. Quo pacto Aquæ Sulfureæ cum aliis Herbis parentur. 18

Cap. VII. Quo pacto Aluminosæ aquæ possint parari, Salsæ, & Nitrosæ 22

Cap. VIII. Quæ Calcem, & Cinerem continent. 27.

Cap. IX. Bituminosæ, & quæ ex Pice, & Asphalto sunt aquæ. 29

Cap. X. Terreæ, Aereæ, Argenteæ aquæ, & aliæ plu-

Series Capitum
plurima istius generis. 32
Cap. XI. Composita Balnea ex pluribus Metallis. 34
Cap. XII. Numquid sint ea servanda in usu istorum Balneorum, sicuti in Naturalibus. 37
Cap. XIII. Quanto tempore possint servari hoc modo parata Aqua. 41
Cap. XIV. Quomodo fumosa Balnea comparare possint. 42

FRANCISCVS FRIZIMELICA

DE BALNEIS METALLICIS ARTIFICIO PARANDIS.

PROOEMIVM.

AVxilia quibus Indicationes Curatiuæ, & Præseruatiuæ, & Conseruatiuæ perficiuntur, licet videantur esse minoris usus, quàm reliqua, quæ à Medico pertractantur; nihilominus ea diuinam Manum appellarunt quidam ex antiquis. Quæ profecto scio esse pauciſſimi usus, aut contrarii illius quod a Medico intenditur absq; Indicationibus, quas prius oportet cognouisse Medicum. Nihilominus Indicationes nihil sunt, nisi habeant auxilia, quibus perficiantut. Ideo non erit ab re disserere de quibusdam Auxiliis, & præcipuè de his, quæ & plurimis

Indicationibus possunt deseruire, & quæ Magna & Diuina ab antiquis appellata sunt; veluti sunt Metallicæ Aquæ, & alia plurima istius generis. Sed quia huiusmodi Metallica, quæ liceat mihi in præsenti & in posterum appellare Balnea, quum sint diligentissime pertractata ab his, qui superioribus seculis de hac re scripsere; ideo prætermittam consulto horum disceptationes legendas, & à Sauonarola, & ab Aggregatore nostris Patauinis. etiam aliàs cum locum hunc publice profiteremur, ea fuerunt redacta in commentaria. non est opus amplius ut hæc repetamus. Sed quia plerumque cogimur uti aliis pro his, ita ut succedanea sint nobis necessaria, aut careamus perpetuo usu istarum aquarum, aut ut pleriq; maximo dispendio, laboribus & periculis transferant se ad huiusmodi Balnea; eriam quia non possunt ita Naturalia hæc Balnea adhiberi sicut conueniret: ideo de ipsis succedaneis pro ipsis Balneis agemus, & de iis Balneis, quæ loco istorum Naturalium artificio compatata possunt adhiberi, quam breuissime dicemus, dilucide & facile admodum, ut & iuuenes qui non sunt ita exercitati, possint sibi ipsis huiusmodi parare. Impulsi hæc fecimus ab

ami-

amicis, qui hoc cupiunt scire, & qui viderunt aliquando hæc a nobis parata cum ratione & experientia. Sed iam ad rem deueniamus.

CAPVT I.

De Aquis metallicis in genere, & de Generatione ipsarum.

BAlnea, quæ ita appellabimus, maxime sunt Aquæ metallicæ. Quæ aquæ differunt ab aliis aquis Accidentibus quibusdã, ut Odore, Sapore, & Tactu; & maxime odore, & sapore. Hæ aquæ distinguuntur ab aliis aquis, his potissimum tribus, sapore, salsæ enim sunt, interdum amarulentæ, adstringentes; sunt etiam odoratæ, veluti sulfureæ, bitumiosæ, & aliis grauioribus odoribus præditæ: sunt & hæ aquæ calidæ, & interdum feruentes, raro frigidæ, sicuti Calderianæ Veronenses; nihilominus & ipsæ in ipso fonte habent nescio quid caliditatis.

Hæ Aquæ in se duo habent. In primis est materia susceptiua ipsarum qualitatum, quę est aqua, & quidem sua natura, insipida, nullo sapore prædita, actu frigida, & nullum referens odorem; maxime inquam, susceptiua

ua omnium extranearum qualitatum. Quæ aqua aliquando à Galeno appellata eſt ſeminarium, quaſi in potentia ad omnia; & ſemen omnium aduenientium qualitatum. Sed quomodo iſta aqua habeat, ſecundum quod eſt in aquis metallicis, dicamus. Illud enim ſemen eſt quodcunque aduentitium, ſapores, odotes, & tangibiles illæ qualitates. Arbitror enim eſſe, quia aquæ illæ ſubterraneæ, quæ ſunt in ipſis fontibus, ſuſcipiunt ab ipſa Terra, quæ continet Metalla, qualitates illorum metallorum. Fontes enim, ſicut dicebat Ariſtoteles in 1. Meteor. ſunt concauitates, quæ ſunt in ipſis Montibus; quæ concauitates partim recipiunt aquam cœleſtem per ipſos montes; partim generant aquam ſua frigiditate, & aëre, & ex vaporibus exiſtentibus in illis concauitatibus. Si in his concauitatibus, quæ ſunt ad radices montium, contingat adeſſe metalla, ſicuti in ipſis montibus plerumque contingit, vis ipſorum metallorum, & partes ſubtiliores ipſorum metallorum commiſcentur aquis; ita ut aquæ quædam ſint Sulfureæ, & admiſtione ſubtilium partium ſulfuris cum ipſis; aut ſalſuginoſæ, ex ſale admixto; aut referunt Calcem, aut Cinerem, & commixtione ci-

neris,

neris, aut calcis cum aqua. Cineres enim & alia istius generis contingunt ex multis causis.

Ista Metalla possunt nasci in ipsa Terra, sicuti videmus montes abundare metallis plurimis. Cineres ex combustione, quæ plerumque fit in visceribus terræ, fiunt, vnde combustio illa in causa est, vt incalescant aquæ, & fiant ipsæ feruentes. Nulli dubium in visceribus terræ & montium fieri combustiones, & interdum ingentes anfractus, vt videamus exire præter fumum, flammas, carbones, & adustos lapides; sicut & apud Aethnam in Sicilia, & in Vesuvio monte, & nuperrime hic in Italia apud Puteolos audivimus, & proximo tempore in agro Murinensi. Ideo non est mirum has aquas effici Metallicas & feruentes hac ratione. Dixit enim Aristoteles in 2. Meteor. Aquas suscipere impressiones ab his terris, per quas dilabuntur, & ita efficiuntur aquæ metallicæ.

Sed distinctius de unaquaq; agendum est à nobis, & signa sunt dicenda, quibus cognoscantur, vt ex his facile ad id quod instituimus possimus peruenire.

CAPVT II.

De Speciebus Metallicarum Aquarum, & de Signis ipsarum.

METalla quæcunque possunt nosci ex ipsa Terra, & maxime ex ipsis Mootibus. Sunt enim hæc metalla facta ex vaporibus collectis in terra, & a caliditate ipsius Solis, sicuti declarabat Aristoteles 3. Meteor. ad finem. Appellauerunt ergo Metalla, non solum Aes, Aurum, Argentum, & Argentum viuum, & alia; Sed appellarunt Metalla etiam, veluti Sulfur, Alumen, & alia quæ sunt ipsa terra, nec partes ipsius terræ. Sunt enim Metalla, veluti Aurum, Argentum, Aes, Plumbum, Stannum, & alia: Est Sulfur, Alumen, Nitrum, Sal, & Bitumen; addo etiam & Cineres. Aquæ enim possunt accipere partes uniuscuiusque Metalli, & diuersorum Metallorum ad inuicem commixtorum. Simplices essent, veluti ferreæ Calderianæ Veroneoses, quamuis perpetuo commisceatur quidpiam Sulfuris istis Aquis. Raro dantur aliæ Aquæ simpliciores. Impossibile ferè esset, ubi solus Cinis dominatur, ut inde scateret Aqua. Sed

ut

utplurimum, ut dixi, commixta ſunt ex diuerſis generibus Metallorum. Verùm ſemper unum ipſorum Metallorum dominatur cæteris. Sicuti in aquis Aponitanis plurima Metalla ſunt admixta, ſed maxime dominatur Sulfur, quamuis ſit admixtum Alumen, Nitrum, Calx, & Cineres. Magis in Balneis Montis Aegrotorum dominatur Sulfur; maximè in Balneis Sanctæ Helenæ: fere uniuerſæ illæ Aquæ ſunt Sulfureæ. Balnea Sancti Petri ſunt & in quibus maxime viget Alumen, quamuis ſit admixtum quidpiam ipſius ſulfuris; ſed dominatur magis Alumen. In luto Sancti Bartholomæi licet ſit plurimum Aſphalti, & dominetur Aſphaltus; nihilominus eſt etiam quidpiam ipſius Sulfuris.

Argenteæ, Aureæque Aquæ raro viſuntur, nec creduntur eſſe alicuius uſus. Sed quiſpiam dubitaret, quomodo Aquæ illæ, quæ ſunt prope Argentinas, Aureaſque fodinas, ex quibus fit Chalcanthus, cum ſint maxime metallicæ, non ſint in aliquo uſu? Ratio eſſe poteſt, quia ſunt acres nimis, nec venirent tuto in aliquo certo uſu in remedia. Cognoſcuntur autem virtutes, & materia harum aquarum ex multis. Priores

Medici, sicuti Sauonarola, & alii, separando partes Metallicas & Terreas à partibus Aqueis, cognouetunt quæ essent admixta Metalla, ex illo quod post separationem permansisset in vase. Nos verò facilius hoc cognoscimus Odore, & Gustu. In primis illæ Aquæ calidiores odoraru deprehenduntur quod sint Metallicæ, ut Aponitanæ; minus odor ipsius Sulfuris, plus Salsuginis, & aliorum Metallorum deprehendirur. Præter hoc animaduerrimus etiam per loca, per quæ dilabuntur. Etenim ex odoratu illud deptehendimus. Nam & odor sulfuris maxime deprehenditur; ut etiam in ipsis locis, per quæ dilabuntur, videmus Colorem, & frusta ipsorum Metallorum: inrerdum etiam & frusta Salis, Nitri, & Calcis deprehendimus in ipsis alueolis, per quos dilabunrur, & colligunrur.

Sic igitur & ipsa subsidentia deprehenduntur Metalla, quæ alrerantur in ipsis Aquis: eritque ista distinctio Aquarum Metallicarum, & ipsarum signa, & generatio.

CAP.

CAPVT III.

Numquid sit possibile artificio, his deficientibus, illis similes parare.

AIunt Philosophi, & assumunt sibi Medici pro certo, Artem imitari Naturam. Primò fuêre aliqui, qui crediderunt æque bonum posse fieri ab Arte, aut fortasse melius illo, quod factum est à Natura. quod fortasse in omnibus non esse verum existimo, quamuis Ars ita possit auxiliari Naturæ, ut quod ipsa ex se interdum facere non potest, adiuta ab arte faciat, aut melius faciat, quàm si non esset adiuta ab arte: quia plerumq; sunt impedimenta plurima, quæ non permittunt operari naturam. Quæ impedimenta si removentur, Natura melius operatur, aut quod imbecilla est, & habet imbecilla instrumenta: unde commode operari non potest, nisi adiuta ab arte. Sed hæc missa faciamus, & dicamus, quod Ars plerumq; imitetur Naturam, & facit simile illi, quod facit Natura.

Sic igitur cùm aquæ istæ Metallicæ factæ sint à natura & cœlesti calore, & maxime à calore Solis, & aliarum Stellarum, quæ duo

illa

illa commixta ita alterant, ut si non se commiscent ita ut fiat unum terrium, sicuti imaginari sunt multi; tamen ita se alteraot, ut unum agat adiutum ab altero, & alteratum ab altero, quod per se ipsum non ageret; sicuti aqua per se non ageret, quod agit alterata à sulfure, neque sulfur per se ageret, nisi alteratum ab aqua: interim fiunt hæc à natura, hoc est, ex duobus naturalibus, ex sulfure, & aqua.

Numquid autem Medicus carens hoc mixto facto à natura, possit ipse imitando naturam aliquid consimile sibi comparare? Galenus assentitur huic rei. Credidit enim ipse in Prim. de Simpl. Medicina, metallicas aquas posse fieri in defectu metallicarum aquarum, ex commixtione metallorum cum aqua; ut Salsuginosas, Sulfureas, Aluminosas, & Bituminosas, posse fieri ex admixtione Salis cum aqua, Aluminis, Sulfuris & Bituminis. Sed hoc tamen difficillime. Videtur enim quod agens & locus deficiant in hac re, quæ sunt maxime necessaria in generatione. Nam metallicæ illæ aquæ fiunt in visceribus terræ, & à calore illo cœlesti Stellarum & Solis in primis. Huiusmodi autem mixtio quæ fit ab arte, non fit nisi ab igneo calore,

heic in superficie terræ; & ideo videtur difficile ita ista posse commiceri, sicuti ea quæ à natura fiunt. Dixerim ego omnino commixtionem hanc fieri posse, sed non ità sicuti illa quæ à natura fit. Perfectior illa est, ista imperfectior, & veluti imago illius prioris. Ars enim non æque perfectum facit, sicuti quod facit natura, sicuti dictum est, & propter easdem causas. Vnde in plures usus, & meliores usus venit aqua illa metallica facta à natura, quàm ea quæ facta est ab arte; in usus, inquam, Medicos. Etenim metallicæ aquæ à natura factæ potantur, balnea fiunt, stillicidia, & alia. Quæ autem ab arte facta est, commode fortasse & tuto non poterit potari, licet stillicidia balneaque fieri possent. Intus enim susceptа Medicina periculosior est, quàm extra applicata. nam & sensibiliora sunt membra, viæ angustiores sunt, & loca quæ sunt principia vitæ. Ideo nisi sit medicamentum optime paratum, offendet facile interiora membra, quæ sunt vivendi & essendi principia: quod non arbitror posse ità commode parari ab arte, sicuti à natura.

His rationibus crediderim aquas metallicas arte non posse fieri potabiles, sed pro balneis, & ipsis stillicidiis. Et hoc intelligebat

bat Galenus. Nos igitur qui huic sententiæ astipulamur, docebimus quo pacto pro balneis, & pro stillicidiis possunt hæ construi aquæ, & aliquando tutius: quod primò demonstrabimus, deinde modum conficiendi docebimus.

CAPVT IV.

Quod tutius interdum arte parate Aquæ Metallicæ administrantur, quam confectæ à natura.

MIrum quid videbitur aliquibus hoc à nobis proponi, & iudicabitur fortasse insanum & alieoum à veritate. Attamen si animaduertant ad ea quæ scribuntur à Galeno, in 1. de Medic. secundum genera, Cap. 2. & reperiuntur apud Auic. in 5. Canone, Cap. 1. cassabitur omois admiratio.

Certum est quod medicamina facta à natura, interdum non possunt ita sicut sunt venire in usum Medicum iure, nisi Medicus ipse operetur circa ea. Sic & aquæ istæ metallicæ quum sint à natura comparatæ, non facile veniunt in usum medicum, nisi aut temperentur à Medico, aut aliquid consimile ad voluntatem ipsius Medici paretur. Ideo qui has aquas administrat, quærat illa-

rum

rum operationes & virtutes ita moderari, ut possint ipsi tuto illas administrare. Quod fieri solet, aut minus calidas administrantes, actu inquam minus calidas, aut quod cadant minus ex alto, & nō ita imptimant, aut quod fistula sit tenuior, & minor quantitas aquæ ducatur ad caput. Ista licet sint moderamina, & correctiones ipsarum aquarum, nihilominus male potest corrigi & moderari quantitas virtualis ipsius aquæ: quia admixtis illis aquis quibusdam frigidioribus, male potest operari aqua illa. Nō enim recipit societatem alicuius extranei.

Tutius igitur mihi videtur, ut aliquid consimile priori Aquæ construatur, ut si in ipsa Aqua Metallica (vt prius dixi) sint duo, Materia siue subiectum recipiens virtutem Metallorum, quod & (vt dicebam) Aqua ipsa purissima; Aliud quod recipitur in ipsa Aqua, ut sunt ipsa Metalla, sive quorum virtus recipitur, pro varietate Metallorum. Ipsa ergo Metallica Aqua efficitur. Et quia raro inuenitur Aqua habens virtutem unius Metalli, nobis autē, hoc modo parando Aquam, licet parare Aquā habentem virtutem vnius Metalli, vt penitus sulfuream, aut Aluminosam, aut cinericiam, admiscendo unum

dun-

duntaxat Metallum. quod raro inuenitur in aquis à Natura factis. Etiam licet nobis parare Aquam Metallicam, admiſcendo plus aut minus Metallorum pro arbitrio noſtro, & pro neceſſitate morbi tollendi. Etiam ſi mixtam Metallicam aliquam aquam facere voluerimus, interdum plus de Iulfure, minus de alumine commiſcebimus ſecundum opportunitatem. Interdum licet nobis aliquam qualitatem remouere inſitã ipſi aquæ, aut non inſitam ſuperinducere; quod difficile aut fere impoſſibile erit facere Metallicis aquis natura patatis: ut ſi exſiccantem duntaxat volumus Aquam, non calefacientem, commiſcebimus quæ exſiccant & non calefaciunt, ſicuti ſunt Baccæ Myrtorum, folia, & Roſarum folia, & alia plurima, quæ exſiccant ſine calefactione. Quæ tamen in aquis metallicis decocta nihil faciunt, eo quia, cum efferbuerit Aqua Metallica naturâ comparata, virtus penitus euanefcit. Sed in hac non eſt ſic, quia primo decoquuntur ea quæ ſunt Metalla, ſecundo Metalla ipſa. Sic igitur ex his exiſtimauerim ego commodius hoc poſſe fieri, quam ſi à natura eſſent paratæ. Præterea facilius poſſunt adhiberi. Nam cubicula quæ ſunt in Thermis, ſolent eſſe calidiora,

diora, & moleſtioris aeris. Parata hæc Aqua facilius poteſt adminiſtrari, & commodius, & tutius. Hippocrates quaſi negligebat Balnea, quia commode non pararentur. Præterea Regiones illæ, in quibus hæ aquæ ſcaturiunt, ſolent eſſe olidæ, & peſſimi aeris. Præterea diſpendia, incommoda, peregrinationes, quæ miſeri ægrotantes perpetiuntur. Nam in longis itineribus adinuenti ſunt plurimi, qui in itinere exſpiratunt, minimeque hæc ſacra loca attigerunt. Non tamen propter hoc deteſtarer ego uſum Aquarum Metallicarum, præcipue ubi commode poſſint adminiſtrari & conueniant.

CAPVT V.

Quo pacto hæ Aquæ Metallicæ parentur in genere.

DIcebamus Aquas Metallicas in ſe duo continere: alterum quod eſt veluti Materia & ſubiectum recipiens Metallorum Virtutem, quod eſt Aqua; alterum verò Virtus Metallorum, & tenuiores partes illorum, quæ recipiuntur in Aqua.

Tria ergo ſunt hic aduertenda. Primum eſt Aqua, quod eſt primum ſubiectum, vt

dixi

dixi, horum metallorum, quæ paranda & eligenda eſt, ut ſit conueniens ſubiectum recipiendi virtutem metallorum: illa enim ſit puriſſima, non permixta alicui extraneo, eo quia ſi debet eſſe ſubiectum harum virtutum, ſit ipſa maxime in potentia: Aqua enim potiſſimum ſubiectum eſt, & materia omnium Medicinarum, quia maxime in potentia eſt, & ſuſceptiua virtutum & partium ſubtilium Medicinarum, quæ ipſi permiſcentur. Ideo cùm fuerit puriſſima, maxime impermixta, maxime erit ſubiectum & potiſſimum in potentia ſuſcipiendi virtutem ipſarum medicinarum. Si autem erit permixta alicui alteri, ut terræ, aut alicui rei extraneæ, non erit ita in potentia, ſed magis in actu, & ita non ſuſcipiet, ſicut ſuſcipit quando eſt impermixta. Cognoſcitur autem puritas & ſimplicitas illius tum ex guſtu, tum ex odore, tum ex viſu: Oportet enim ipſam tenuiſſimam eſſe, maxime penetrabilem viſu; præterea oportet illam nullum habere ſaporem, ſed maxime inſipidam; nam cùm eſt craſſæ ſubſtantiæ, illud non eſt niſi ex terra commixta: ſapores cùm ſint ſecundæ qualitates, non ſurgunt niſi ex commixtione primarum. Sic igitur ſi erit aut ſalſa, aut amara, ſignificat commix-

tionem

tionem tetum calidarum & ſiccarum, terrearum ſcilicet cũ ipſa aqua. Pariter ipſam oportet carere omni odore, ut impetmixtam habeamus. Eligenda ſunt igitur hæ aquæ, quales ſolent eſſe aut fontium, aut fluviorum, qui non ſunt paluſtres, neq; aliqua externa qualitate inſigniti. Sic igitur eligenda eſt aqua.

Metalla eligenda ſunt optima quæuis: ut ſulfur, ſi voluerimus, eligamus quod non fuerit concoctum igne, ſed expers ipſius ignis, & ut appellant iſti, ſulfur viuum. Sic & alia metalla eligenda ſunt, quæ ſunt optima, & non aliter.

Tertio animaduertendum ad modum conficiendi has aqua. Etenim virtus alicujus medicaminis non transfertur de uno ſubjecto in alterum, niſi vi ipſius ignis. nam proprium caliditatis eſt ſeparare heterogenea, & diſſoluere partes ſubtiles eorum quæ ſuot congregata, modo metalla non diſſoluantur; neque partes diuerſæ metallorum poterunt ſegregari, niſi vi ipſius ignis. Præter illud eſt, quod vi caliditatis repertæ in igne funditur, ſiue funduntur metalla ipſa, & virtus & partes ſubtiles ipſorum metallorum recipiuntur in ipſa aqua. ideo debemus facere ut

feruear ipsa aqua, cui admixta sunt metalla. Item illud dicatur, quod non est ut fiat vehemens ebullitio ipsorum metallorum, euaporant enim facile calidiores & tenuiores partes ipsorum ex nimia efferuescentia: sed si volumus permiscere metalla cum ipsis herbis, certum est quod decoquendæ sunt prius herbæ, deinde in illo decocto suscipere virtutem metallorum.

Sed quispiam diceret, nonne tenuiores sunt herbæ ipsis metallis, & ideo postremo essent decoquendæ? Respondetur, quod non decoquimus longa decoctione metalla cum ipsis aquis, sed solum ut aqua efferuens suscipiat virtutem metallorum, & propter hoc curamus efferuescentiam illius aquæ. Sic igitur obseruanda sunt omnia, ut parentur consimiles aquæ.

CAPVT VI.

Quo pacto Aquæ Sulfureæ cum aliis Herbis parentur.

PLerumque aquæ aptantur sulfureæ à Medicis, ut ex ipsis & reuera Balnea fiant, & Stillicidia: & aptarent ipsi Medici, ut quæ ipsi habent Balnea naturalia omnia essent sulfurea, & non admixta aliis metallis.

Ideo

Ideo de ſulfureis Balneis Arte comparatis primo dicendum eſt.

Et quia ex uſu & intentionibus Balnea & alia Medicamina parantur; ideo de intentionibus & uſu ipſorum dicendum eſt, id eſt, quo pacto indicationes prius habitæ à Medico his Balneis perficiantur, dicemus. Et quia indicationes variæ ſunt; aliæ enim ſunt uniuerſaliſſimæ, quæ ab uniuerſali natura Morbi ſumuntur; aliæ verò magis particulares, quæ ſumuntur à particulari Natura ipſius Morbi; aliæ adhuc minus, quæ non ſolum à natura Morbi & Cauſa ſumuntur, ſed etiam à temperatura corporum, & à natura particulari ipſorum membrorum, & ab aëre aſſumuntur. Ideo & nos ſeruantes propoſitum ordinem, primo agemus de vniuerſalibus indicationibus, & de uniuerſali natura ſulfuris, & ſulfurearum aquarum.

Sulfur ergo, & ſulfureæ aquæ, quæ ex ipſo fiunt, eſt Medicamen calidum & ſiccum, ſicuti experientia deprehenditur, & confirmatur ratione ſubtiliſſimarũ partium, habet tamen quod leuiuſcule aſtringat. Componitur enim ex terrea & ignea ſubſtantia ipſum ſulfur. Mitiores aquę ſunt, quę habent virtutem ſulfuris. etenim mitior fit & ſiccatio & adſtri-

ctio ipſius ex commixtione aquæ. Aquæ ergo ſulfureæ ſuot illæ, quæ tutius poſſunt adminiſtrari, nec timemus adſtrictionem, nec maximam exſiccationem & calefactionem, licet roboret, licet leuiter calefaciat, & exſiccet. Sed quia plerumq; exaſperaot, receptum eſt à nobis, ut ioſimul decoquamus herbas homogeocas his aquis, hoc eſt, quæ habent ſimilem virtutem ſulfureis aquis; veluti betonica, ſaluia, & aliæ herbæ iſtius generis, commiſceamuſq; etiam herbas, quæ lenius humecteot & laxent, ne ſint ita calidæ ſicut ſulfur & ſulfureæ aquæ, quæ contemperent virtutem ſulfuris, veluti chamomilla, aoerhum, malua, althæa, & alia iſtius generis. Etiam dicimus quod hæ aquæ conferunt frigidioribus & humidioribus morbis, & his qui ex diſſolutiooe fiunt, aut diſſolutionem conjunctam habent, veluti Paralyſis, Stupor, Oedema, & alii morbi frigidiores & humidiores, ſua caliditate, ſua ſiccitate tollit intemperiem ægrotantis membri, aut uniuerſi corporis, ægrorantis, inquam, his ægritudinibus. Etiam roborant laxata iſta membra, & ſi quæ innata eſt Materia, diſſoluitur ab huiuſmodi aquis.

Etiam hæ aquæ affectionibus matricis frigidi-

gidioribus miro modo conferunt. Sed quia membrum matrix est multi sensus, & quæ facile ab acrioribus medicamentis patitur, ideo commiscemus ea, quæ laxant; veluti, ut dicebam, althæam, maluam, & alia istius generis, & sumendo indicarionem particularem à membro, ea quæ conferunt matrici, veluti parthenium, matricariam, artemisiam, & alia istius generis; & interdum ubi opus radicem liliorum alborum. Sic dixerim de aliis membris, ut si pro capite nostra erit intentio, Rosas decoquamus, & alia istius ordinis, pro temperatura ipsius corporis, & pro ætate, sexu, & aliis, commiscebimus ea, quæ nô acriorem faciunt ipsam aquam, sicuti dictum est. Sed numquid absq; commixtione istarum herbarum, cum aqua sulfurea liceat remperare minuta quantitate sulfuri? Dicamus, quod omnino non erit ita acris, sed minoris virtutis: unde non videtur quod ita tuto possumus illud agere minuta quantitate sulfuris, & non permixtis aliis herbis. Qua ratione sunt hæ decoquendæ herbæ quia satis superque dictum est superius, non est ut repetamus amplius.

Proportio ipsius sulfuris ad aquam, in qua debet decoqui, debet esse talis, ut sit in qua-

drageſima aut quinquageſima parte ubi erit vehemens, ut ſint quadraginta aut quinquaginta libræ aquæ, & vna libra ſulfuris: quæ erit mitiſſima, erit centupla: quæ media, habet ſeptuageſimam partem, & ſic variabitur.

Modus decoctionis eſt, ut decocta aqua cum herbis commiſceatur ſulfur tritum, ut diſſoluatur calefacta aqua. Hoc modo parata aqua poterit ſeruari ad certum tempus, & niſi eſſent illæ herbæ commixtæ, diu ſeruaretur: ſed quia herbæ illæ procurant putredinem, non poterit valde diu ſeruari hæc aqua quin putreſcat; fortaſſe ſeruabitur per 8. aut 10. dies.

CAPVT VII.

Quo pacto Aluminoſæ aquæ poſſint parari, Salſæ, & Nitroſæ.

ALumen ex Metallis genitum eſt ex terra, ita ingentis adſtrictionis, ut nomen ab effectu ſortitum ſit. στυπτηρία à Græcis appellatum eſt, id eſt, adſtringens. Cujus variæ ſunt ſpecies, à variis regionibus, & à varia ſubſtantia. Etenim aliud Alumen eſt quod naſcitur in Melo Inſula, unde Melinum Alumen dictum eſt, quod penitus perit in

præ-

præsenti, ideo quia Melos insula deuenit ad Turcas, & jam ut impediatur vectigal Summi Pontificis, factum est nulli Christiano liceat afferre Melinum Alumen. Est etiam alumen liquidum, quod est veluti aqua, Aliud Rotundum Alumen. In præsenti habemus fere rotundum Alumen, quod fit ex aqueo Alumine, & vulgo appellatur Alumen Roccæ. Etiam est Alumen Scissile, quod vulgo appellatur Alumen Plumæ: sed de hujusmodi Alumine non est ut habeamus sermonem, sed tantum de Alumine Rotundo, & liceat mihi appellare Alumen Roccæ.

Aquæ ex natura plerumque sunt Aluminosæ, licet non sint pure aluminosæ, quin aliquid sulfuris non sit admixtum; sed quod plurimum dominatur in eis in aliquibus est Alumen, sicuti in agro Patauino sunt aquæ Sancti Petri: illæ enim aquæ potissimum sunt aluminosæ, dominatur enim Alumen in istis aquis, quamuis quidpiam ipsius sulfuris sit admixtum. Sunt etiam aquæ salsæ, sicuti Maritimæ aquæ, quæ ex natura salsæ sunt, quia vapores dulces eleuati à sole derelinquunt mare salsum. Sunt aliquæ aquæ quæ sponte scaturiunt salsæ. Sunt enim aliqui fontes ex sui natura salsi, sicuti in agro Pa-

tauinn erant illæ aquæ Nouæ domus, quæ ſalſæ erant, nunc autem ſunt neglectæ; & lacus in Cypro, & plurimi alii montes, ubi ſunt lacus & fontes ſalti. Hic in proxima Germania apud Halam habent ſalſos fontes, ex quibus conficiunt ſalem. maxima ſunt vectigalia. Poſſunt autem confici Salſuginoſæ aquæ & Aluminoſæ ex commixtione ſalis & aluminis cum ipſa aqua.

Nitroſæ quoque ſunt aquæ & ex Natura, & ex Arte confectæ. Nitrum enim metallorum unum eſt, naſcitur ex terra ſicut alumen, & ſal: ſunt enim diuerſæ ſpecies & Nitrum, & Aphronitrum, & alia plurima iſtius generis. Sed in præſenti videtur jam peruſſe hoc metallum, artificio autem confici, ut nitrum ad tormenta. Si conficeretur hoc nitrum, ſicuti vulgo fit, ex colamento terræ cum aqua, conficeretur ergo & aluminoſa & ſalſuginoſa, & nitroſa aqua, ex admixtione iſtorum metallorum cum ipſa aqua, eo modo & ratione ſicuti factum eſt de aqua ſulfurea.

Sed cujus uſus eſt iſta aqua, dicamus. Aluminoſæ aquæ ſunt quidem calidæ & ſiccæ, ſicuti quæcunque aliæ metallicæ aquæ: ſed hoc habent potiſſimum, ut dicebam, quod

maxime

maxime adſtringuot ; & ideo ulceribus & maxime mundis conferunt hæ aquæ. Conferunt etiam hæ aquæ hydropicis, & relaxatis corporibus ; ſiccant roboraotq; hæ aquæ miro quodam modo. Tameo animaduertere oportet, ne utamur his aquis in illis corporibus quæ munda non ſunt, oe, quum obſtruxerint corpus, febrem inducant. Videmus enim frequentiſſime ſuperuenire febres ex uſu iſtarum aquarũ adſtringentium, quum poros obſtruant, & immunda ſunt corpora. Mulieribus quibus ſuperflue erumpunt menſtrua, & quæ menſtruis albis laborant, conueniunt iſtarum aluminoſarum aquarum balnea, dummodo, ut dixi, exquiſite fuerit purgatum corpus.

Conficiantur ergo ad hoc, & plurimos conſimiles uſus, hæ aquæ aluminoſæ. Salſæ verò ſunt multi uſus, quæ ex Natura fieri poſſunt, ſicuti dicebam. In hoc agro Patauino adeo iocreuere hæ aquæ, & copia iſtarum aquarum, ut ſuperiore tempore decreuerint in hoc agro ſal conficere. Etiam arte poſſunt ſalſugino ſæ aquæ fieri, & admixtione concocti ſalis cum aqua, in eadem menſura, ſicuti prius. Exſiccaot aurem miro modo hæ ſalſæ : unde hydropicis conue-

niunt,

ſunt, qui aquoſo hydrope laborant, ut his aquis immergantur; & qui laborant humida ſcabie admodum: & demq; ad omnes humidos morbos hæ aquæ conferuut. Et ita conficientur hæ ſalſuginoſæ aquæ. Et potiſſimum aduertendum eſt, ne forſan ſua acredine & caliditate inflammentipſa corpora, ſed parentur commiſtis herbis, propter illud quod diximus.

Nitrum pariter ex eo genere metallorum eſt, ſicuti Alumen, ſed non ita adſtringit; ſed calefacit, exſiccat, abſtergitque. Hujuſmodi nitrum naſcitur, & erat notum alias, pariter & aphronitrum; ſed io præſenti perit notitia ipſius nitti: utimur autem nitro arte parato.

Nitroſæ aquę plurimę ſunt, & in agro Volaterrano ingens eſt copia nitroſarum aquarum. Si quę nitroſę ſunt in agro Patauino, ſunt & Aponitanę, & Sanctę Helenę, ſed non ſunt ita nitroſę, quum plurimum ſulfuris habeant commixtum.

Conficerentur aquę nitroſę, ſicuti aluminoſę, & ſalſę. Valerent autem potiſſimum ad robur ipſorum membrorum, ſicuti ad relaxata & paralytica membra, ad imbecillitatem membrorum, & ad articulos humi-

dos

dos nimis. Certum est quod usus istarum aquarum moderatus esse debet. nam & interdum calefacit, & nisi sint exquisitissime purgata corpora febrem inducunt, & quidem vehementem.

CAPVT VIII.
Quæ Calcem, & Cinerem attinent.

AQuę possunt habere virtutem ipsius calcis & cineris, quando transeunt per calcem & cinerem. Suscipiunt enim virtutem cineris & calcis; unde amarulentę & salsę, acresque plerumq; sunt, eo quod transeuntes per loca cineritia & adusta suscipiunt partes tenues illorum duorum, aut illorum alterius, & ita fiunt salsuginosę, amarę, acres, & postea interdum actu calidę. Sed quispiam dubitaret, quomodo ibi sit calx aut cinis. Cinis enim reliquię sunt rei inflammatæ & adustæ. Quid autem est illud quod adurit & inflammat, & quid est illud quod aduritur & inflammatur in illis subterraneis cuniculis? Præterea quomodo est ibi calx, quum calx conficiatur ex adustione durarum rerum, aut lapidum, aut cochlearum, aut alterius consimilis, à vehementi cali-

caliditate? Dicatur quod facile eſt inuenire materiam cineris & calcis. Sunt enim ibi lapides, qui poſſunt inflammari & coqui in calcem, & comburi, ut vertantur in cineres: Nam in Aethna Siciliæ Monte, & cineres & calces viſuntur & ptodeunt. Sic etiam in pleriſq; montibus illud poſſe eſſe, ſed non prodeunt ſicut ibi: non eſt enim tanta vis ut poſſit erumpere, ſicut interdum factum audimus & in Puteolano agro, & in Mutinenſi. Agens autem eſt caliditas, qui & motu confticationeq; fit, & facta combutit lapides, ex quibus generatut calx & cinis, ut dictum eſt: & ita commixtis his cum aqua, fiunt illæ aquę cineritię & calcis.

Exſiccant autem & calefaciunt, & diſſoluunt indurata membra, quando ex congelatione ſiccitas facta eſt, & membrotum contractio. Niſi eſſent alia metalla commiſta his aquis, certum eſt quod non venirent in uſum. Sola enim cineris aqua acerrima quidem eſſet, & magis quę ex calce. fiunt enim ex aqua calcis cauteria. Ideo non audeat Medicus conficere ſibi aquam calcis ſolam, neque aquam cineris ubi vehemens ſit, ſed perpetuo commiſceantur, quę mitiotem aquam reddunt, ſicuti dictum eſt. Sic igitur Medicus

ad

ad exſiccandum, roborandum, reſoluendum, ſiue digerendum, & calefaciendum uratur his aquis, aut à natura, aut artificioſe comparatis.

Conficiantur in ea menſura, in qua docent & quantitas Morbi, Cauſæque, & cætera quę à coindicationibus adſumuntur ab Aere, anni tempore, conſtitutione, temperatura, & alia quę declarata ſunt ſemper per contrarium.

CAPVT IX.

Bituminoſæ, & quæ ex Pice, & Aſphalto ſunt aquæ.

BItumen ſiue Aſphaltos, & Pix Aſphaltos, ſicut & Pix prodeunt ex terra, & ſunt foſſiles, & interdum ex ipſis montibus inſimul cum ipſis fluminibus & aquis deſcendunt. Vnde plerumque aquæ ſunt bitumioſæ; & plerumque huiuſmodi Aſphaltos conjungitur cum luto, ſiue ipſa terra; ſicut contingit in Agro Patauino apud Sanctum Bartholomæum, & apud Montem Ortonum, & in loco Montis Aegrotorum. Plerumque enim ſunt huiuſmodi aquę, & lutum præcipue. Sed animaduertendum etiam, quod loca iſta licet ſint bituminoſa, nihilominus

minus habent commixtum ſulfur ; olent enim ſulfur.

Poſſumus autem & artificio nobis parare etiam lutum, licet fortaſſe difficilius pararetur quam relique aquę metallicę; eo quia raro utimur his aquis bituminoſis , ſed luto. Ideo ut plurimum noſtrum erit parare lutum. Quod non erit facile. materia enim quę ſuſcipere debet bitumen , fortaſſe non erit facile nobis parare illam. Commiſcere bitumen, ſiue picem , ſiue picem Aſphaltum cum ipſa terra videtur quidem difficile, neq; multum ad rem , eo quod omnino terra exſiccat & adſtringit. Ex bitumine autem, picę q; & pice Aſphalto quęrimus utplurimum emollitionem & relaxationem. Ideo quibuſcunque affectibus etiam ipſorum extremorum non conueniunt hęc medicamina, ſed ſolum induratis membris & contractis . Ideo non erit facile conficere & parare ſibi talia medicamina maxime mollientia.

Aliquod autem lutum digerit & reſoluit, quod cum Aſphalto plurimum habet ſulfuris, veluti lutum Montis Ortoni. Vt autem commode & facile iſta parari poſſint dicamus , & inquiramus primo Materiam, ſecundo Medicamina, tertio Modum , quo iſta conficienda ſunt.

Mate-

Materia, ut dicebam, non sit ipsa terra, propter rationes, quæ dictæ sunt; sed sit aliquid medicamen, quod sit veluti Materia, & quod relaxet & emolliet. Sit istud maxime ceta, & nouissima cera, quę prodiit ab Apibus. Nęc enim etit optima materia temperata vergens paululum ad calidum & humidum, & ut dicebam, emolliens & relaxans; nihil ptęstantius hac cera. Commiscеantut quę principaliter hoc possunt prętstare, prout est intentio componentis hoc medicamen. Sunt qui Bitumen, suot qui Picem usque ad Laricinam & Terebinthinam commiscent: ista enim accipiuntur & commiscentur oleo antiquissimo.

Sed ut ad Particularem modum operandi deueniamus, duobus aut tribus exemplis rem commonstrabo. Accipiat duas vel tres partes cetę, pasta libras tres cerę, & ita laboret, commiscendo ceram cum resina. sit resina quarta pars cerę, commiscеatur tantum olei antiqui quantum satis ad excipiendum hoc medicamen, ut dicebam, admiscеatur tantum olei. Certum est quod facilè ista parari possunt. Sed istorum medicaminum usus erit, ut liniantur contracta membra. Ad Picem & Resinam alias etiam con-

fuge-

fugere oportet, ut loco Aſphalti interdum ſit opus commiſcere aliam reſinam: etiam ſi ea quę digerunt & reſolvunt & emolliunt Medicamina, non erit malum pro opottunitate, veluti iris, Ariſtolochia, & alia plurima iſtius generis.

Iſtius Medicaminis uſus ſit poſt euacuationem corporis: ſitque hoc Medicamen applicitum his corporibus, quæ iſta ferte poſſunt, & non aliter. Hoc pacto lutum Medicum parabimus.

Bituminoſæ aquę qno pacto parari poſſint dicamus. Si bitumen non in multa quantitate decoquamus in aqua, bituminoſa erit aqua. Sed proprium iſtarum aquarum ſunt lutoſi illi fontes. Cum volueris ægrotantem maxime contractum ſanare, poſt euacuationem corporis, linias locum cum ſupradicto medicamine, adaugendo ſemper medicamen reſpectu aquarum. Et ita de bitumminoſis aquis hæc dicta ſint.

CAPVT X.

Terreæ, Aereæ, Argenteæ aquæ & aliæ plurimæ iſtius generis.

METalla plurima naſcuntur in ipſa terra, ex vapore ipſo calido & ſicco, ſicuti Ferrum,

Ferrum, Argentum, Aurum, & Aes; & aquæ plerumque diſabuntur ſuper ipſa metalla, unde acquirunt, & recipiunt virtutem & accidentia illorum metallorum, ita quod ſint ferreæ, argenteæ, & buiuſmodi habeant virtutes horum metallorum, habeantque ipſa etiam accidentia illorum adſtrictionē, odorem, ſaporem; veluti ſunt ferreæ iſtæ Calderianæ, quæ ſunt in agro Veronenſi; æreæ plurimum in balneis; raro argenteæ, aut aureæ.

Hæ metallicæ aquæ prætet illas primas virtutes, quod calefaciant, exſiccent, infrigident, & humectent; habent ſecundas virtutes, ut quod roborent, & quod adſtringant, & ſpiritus & calorem naturalem generent. Ferreæ infrigidant & exſiccant: habent etiam quod roborent, & quod ſpiritus generent. Aureæ, & Argenteæ, de quibus diffuſe dictum eſt ab iis, qui ſcripſere de Balneis, & metallicis aquis.

Solum incumbit nobis dicendum, quo pacto & artificio poſſint parari hujuſmodi aquæ. Certum eſt, quod decoctione minime parari poſſunt, ſed extinctione horum metallorum ignitorum in aqua. Metalla enim ignita ad ruborem uſque ſi extin-

guantur in aqua & decies, & septies, & sæpius, derelinquunt hæc metalla aliquas partes & subtiliores in ipsa aqua. Nec credendum est, sicuti imaginantur quidam, quod medicamen operetur, nisi aliquæ partes subtiles decidant ab hujusmodi medicamine, & mediate vel immediate recipiatur in corpore; etiam quod medicamen dicatur esse solidum, sicuti adamas, ferrum, & alii lapides, & metalla solidissima. Nec enim deveniendum est ad illas suas proprietates, seclusis resolutionibus hatum partium à medicamine.

Sic igitur ignienda sunt hæc metalla, & sæpius immergantur in aqua. Fabri ferrarii habent suas aquas, quibus extinguunt ferrum. Operantur hæ aquæ hoc modo, non ex proprietate. Sic igitur hoc pacto parabuntur hæ aquæ, quæ exsiccant, vires roborant; & præcipue ubi aureæ fuerint istæ aquæ. Et ita balnea ex istis metallis fieri possunt, sicuti dictum est.

CAPVT XI.

Composita Balnea ex pluribus Metallis.

NOn solum unum metallorũ potest commisceri cum aqua, ut fiant aquæ ipsæ metalli-

tallicæ, sed plura & diuersa metalla simul hoc possunt præstare; imo frequentissime diuersa metalla commiscentur, & raro unum, sicuti videmus in his balneis nostris Patauinis. Aponitana balnea, quę sunt præcipua in hoc agro, nam sunt refertissima pluribus balneis, quorum duntaxat superfluit usus destructis aliis, & temporum injuria, & sæuitię & immanitate Barbarorum. Ipsa ergo balnea Aponitana habent plurima metalla commixta, ut sulfur, & alumen, nitrum, sal, & alia plurima metalla, quamuis sit unum ex istis metallis quod prædominetur aliis, veluti sulfur. Ita enim metalla, quibus hæc conficiuntur balnea, fere omnia duntaxat sunt calida & sicca, roborantq; huiusmodi aqua metallicę ratione ipsius metalli dominantis: imo huiusmodi balnea & olent naturam sulfuris.

Vt autem artificio comparentur hęc balnea, hoc modo agendum est, ut illa metalla quę voluerimus sint maximè parata, & proportione sua sint in sua mẽsura; ut verbi gratia si sulfur debet esse supra quartam, & alumen & alia infra quartam, eligatur proportio istorum metallorum quę necessaria est, & ita cum aquâ parentur balnea.

Quo ordine ſint decoquenda iſta metalla, dicemus. Incipiendum autem eſt ab adſtringentibus, eo quia quum dico adſtrictionem dico in Mulieribus; ſed ſit adſtrictio ſuppreſſio earum euacuationum, quę ſunt oportunę. Sic igitur nō eſt opus ut decoquantur ea adſtringentia, ut ipſa adſtringentia ſint facta ab aliquo, tunc ipſa venit tollenda: & ita ſecundo loco veniunt commiſcenda alia; ut v.g. ſi ſuperabundet multitudo aliquorum menſtruorum, tunc ſuppreſſio fit cum adſtringentibus; & ſic de aliis. Sic igitur dicamus, quod ſecundo loco ſunt & alia, ut ſunt metallica, commiſcendā, quæ non ita dura, & illud eſt ex ipſis metallis commixtis. Hujuſmodi enim balnea diuerſarum virtutum, & diuerſę compoſitionis operantur quidem diuerſimode ex diuerſitate metallorum, licet imaginentur quidam, quod per quandam ignotam virtutem operentur. Quidam enim arbitrantur, quod fiat una forma tertia ex commixtione iſtarum omnium qualitatum, & ſic illa forma tertia operetur. Sed reuera ſic eſt, quod virtutes iſtorum diuerſorum Medicamentorum remanent illæſæ, & ita operantur per ſuas qualitates. Verum illud contingit quod alterentur, & patiantur ad

inui-

inuicem, & remittantur; verbi gratia sulfur patitur ab alumine, Alumen à sale, sal à Nitro, & ita successiue.

Sed quo pacto debeat componi Balneum etiam artificio dicamus, pro necessitate & voluntate Medici volentis operari. Debet eligi quantitas & proportio horum metallorum, & oportet decoquere in aqua sicuti prius. Sed qui instituat quantitatem & proportionem horum metallorum? Dicamus, quod sumantur hæc à natura ægri, & ab ægritudine, à causa, omni tempore, & aliis, sicut dictum est. Et ita componuntur balnea composita.

CAPVT XII.

Numquid sint ea seruanda in usu istorum Balneorum, sicuti in Naturalibus.

IN administrandis balneis quæ ex metallicis aquis parantur, aliqua obseruanda videntur, quæ numquid obseruari debeant in his quæ artificio comparantur, dubitatetur. Sed illud in primis dicatur, quod balnea hæc arte comparata debent administrari his, quibus administrantur quæ à natura sunt facta; eisdem affectibus, eisdemq; morbis conueniunt, & tutius quidem, sicut dicebamus

bamus in principio istius sermonis, possunt administrari, quam ea quæ à natura sunt facta, quando in ea quantitate qua volumus possimus administrare, & etiam quando volumus. Etiam obseruandum est, ut hæc administrentur balnea purgatis corpotibus, sicuti administrantur naturalia: nec ita tamen requiritur tanta mundificatio corporis, sicuti in jis quę à natura sunt facta, quando in aëre temperatiori possimus hæc administrare, quam ea qui sunt à natura. Et ita non timemus tantam supercalefactionem ipsius corporis, quantam timemus in his quæ a natura patata sunt. Præter hoc diutius potest quispiam immorari in hujusmodi, quam in naturali balneo, propter aërem calidiorem in illis, in hoc temperatiorem; ut v. g. si solemus dimorati in naturali balneo, sicut communis solet esse mora, per horam, aut per tres quartas horæ, ad minus per semihoram; poterimus morari in hoc per quinque partes horæ, & per horam cum diuidia: semper enim intelligo horas æquinoctiales, id est vigesimam quartam partem motus totius.

Etiam hæc balnea cum ipsis naturalibus conueniunt, & aliquo modo discrepant; quod

quod possint exhiberi cuiq; parti corporis, ita ut per ipsum stillicidium cadant super affectam partem ipsius corporis, sicuti ea quæ à natura sunt. Discrepant autem, quia prolixius & diutius possunt cadere hæ aquæ super ipsas partes corporis, quæcumque illæ sint, sicuti & per horam, & per horam cum dimidia; quod tempus solet esse summum casus istarum aquarum supra locum. Etiam hæ aquæ possunt crassius & altius cadere super ipsa membra, sicut dictum est de balneo torrus. Et ut uno verbo diram, imitiora sunt hæc balnea, his quæ à natura sunt facta. Etiam quod conueniant hæc balnea cum his quę à natura parata sunt in multis; in hoc tamen potissimum discrepant, unde etiam sunt majoris usus & majoris cómodi, quia quæ à natura facta sunt, non possunt administrari nisi statutis quibusdā temporibus, ut vere & autumno: quæ autem arte parata sunt, in omni tempore possunt administrari; eo quia in vere & in autumno hæc balnea sunt moderata, pura, impetmixta: in hieme autem sunt permixta extraneis aquis; ita quod illud commodi quod optamus ex illis habere non possumus; impediuntur enim ab aqua sibi cómixta extra-

nea. In Aeſtate aurem ſunt vehementiora, & aer eſt effernens & combutens: In Vere autem neque efferneſcentiam aeris, quæ eſt in æſtate, neque admixtionem quæ eſt in hieme timemus; ſic & in autumno. Sed quę arte parata ſunt, non habent hæc incommoda. nam non ſunt permixta, nec ſunt efferueſcentia; temperantur enim à nobis, eo quo volumus modo: eligimus temperatiorem Aerem, & alia quæ io hac re ſunt oportuna. Eriam diſconueniunt à naturalibus balneis, quia illa quum amiſerint naturalem illum actu exiſtentem calorem, non ſunt alicuius uſus: ſed iſta poſſunt calefieri ſæpius, quæ adhuc ſunt magni uſus. Ratio eſt, quia actualis caliditas aquarum merallicarum naturalium non eſt niſi ex ardente igne ad intra viſcera terrę, per quę dilabuntur iſtę aquę; quam caliditatem quum amiſerint, hoc noſtro artificio non eque bene inſtauratur, ſicuti inſtauratur caliditas, quę omnino facta eſt ab artificiali iſta calidirate. Plura autem ſunt in quibus coouc niunt & diſconueniune & artificiales & naturales aquę. Sed iſta quum ſint potiſſima, puto poſſe ſufficere, quia horum exempla cętera poſſunt eſſe manifeſta.

CAPVT

CAPVT XIII.

Quanto tempore possint seruari hoc modo parate Aquæ.

HOc pacto paratæ aquæ diutius, quam quæ à natura factæ sunt, seruari possunt. Nam naturales metallicæ aquæ, quam primum desierint esse calidæ, & quod secundo calefiant, hæ sunt modici aut nullius usus; etiam si secundo vel tertio incalescant ipso igne, non habent quod requiritur in hujusmodi aquis; etiam si diu detineantur, putrescunt. Contra autem fere in omnibus sunt hæ aquæ metallicæ arte comparatæ: in primis hæ aquæ metallicæ, sic paratis metallis & aquis, etiam quod infrigidentur & permaneant infrigidatæ denuo incalescant, propter hoc non desinunt esse aptæ ad Affectus, quos volumus amouere. Et illud est in causa, ut etiam dicebam superius, quod hæ aquæ incalescunt ab ipsa natura: deficiente autem calore naturali, non potest ars generare calorem simillimũ calori naturali, quem generauit natura. Etiam calor naturalis existens seruatur ab ipsis metallis, & à vehemente caliditate existente in viscéribus ter-

ræ,

ia, quæ illud faceret, haberi non poteſt. Sed in artificialibus aquis, quæ ſemel eſt indita caliditas ab igne extrinſeco, ſi deperdatur, ſicuti arte facta eſt, denuo poteſt reparari, adhibita eadem extrinſeca cauſa, quæ prius adhibebatur, hoc eſt, caliditas.

Hæ autem aquæ eodem modo poſſunt putreſcere ſicuti naturales, & fortaſſe magis; quia quum putredo fiat à calore extraneo corrumpente, & agente in calorem naturalem; illud vehementius fieri poteſt in his, quæ non ita ſunt à natura facta; calor enim iſtorũ facilius diſſoluitur à caliditate extrinſeca, quam calor naturalis eorum quę ſunt facta à natura, & ideo citius & facilius hæc corrumpuntur, ut dictum eſt. Et ita ſi comparamus has duas aquas, illud erit quod diximus.

CAPVT XIV.

Quomodo fumoſa Balnea comparari poſſint.

VT frequenter quotidiana docet experientia, & ratione comprobatur, res emittunt vapores agitatæ caliditate aliqua; veluti aqua ſupercalefacta caliditate ſolis tranſmittit ſuos vapores. Pix, Reſina, Aſphaltus, & alia hujus generis, ſupercalefacta

& a emittunt suos vapores ; terra etiam ipsa madefacta hoc idem præstat. Vapor autem hic duplex est, alius humidus, alius verò siccus, qui duo vapores possunt eleuari ab igne. Sic igitur hi duo vapores non solum à natura, sed arte quoque fieri possunt. Quod quo pacto fiat erit declarandum à nobis, quum conferat rei Medicæ: & quia putamus attinere ad opus quod sumus aggressi, non erit ab re de his agere.

Vapor ille humidus, qui proprie vapor dicitur, exit ab ipsa aqua; & ideo ad emollitionem alicujus rei duræ, ad flatus discutiendos quidem mediocres, ad sudorem euocandum, poterimus uti hoc vapore. Comparatur, si projiciatur aqua metallica eorum metallorum quæ volumus in vase calido; deinde posito membro quod volumus, aut uniuerso corpore, & validioribus pannis cooperiatur corpus vel membrum, ut non exhalent vapores, sed colligantur, & præstant quod volumus. Et ita poterimus habere suffumigium, quo adjuuatur membrum, vel uniuersum corpus.

Etiam alia erit ratio siue modus usus istorum suffumigionum, ut si habeatur validior lapis, silicis deinde igniatur; igni-

to

to lapide & impoſito in vaſe, impoſitoque membro in eodem vaſe aſpergatur lapis ille jam ignitus aqua metallica. Tunc enim effluunt fumi & vapores ab eodem lapide, & cooperto vaſe ſicuti prius craſſioribus & validioribus pannis, prohibentur vapores effluere è vaſe, & ita colligunrur & alterant ipſum membrum ſicut oportet.

Differentia aurem eſt inter duos istos modos, acrior eſt hic poſtremus, mitior primus. Vapores enim ſunt ſicciores & acriores, qui ſunt à poſtremo illo, prodeunt enim è duriore lapide inflammato, à quo quum exierint, ſunt acriores & vehemenriores illis qui prodeunt ab aqua; & ſunt miriores pro diuerſitate ſubſtantiatum à quibus prodeunt vapores, diuerſa autem eſt natura ipſorum & qualitas. Ideo prodeuntes à lapide ſunt acriores, ab aqua autem mitiores.

Vtimur autem potiſſimum his ſuffumigiis, quum voluerimus aut diſcurere aliquid congelatum in ipſis membris, aut exſiccare aliquod membrum, & roborare.

Cauenda autem ſunt incommoda, quæ ex iſtorum uſu poſſunt euenire. nam & indurare aliquod membrum, & ita exſiccare interdum poſſumus, ut membra immobilia fiant.

In-

Interdum sunt cauenda ista suffumigia, aut si voluerimus uti, utemur ea ratione qua Galenus in 2. ad Glauconem.

Et ita ubi desunt nobis balnea à natura facta, poterimus hac ratione, & modo artificio comparasse. Scio autem plura alia esse genera balneorum, quæ artificio possunt comparari, ut balnea aquæ frigidæ, aquæ tepidæ, olei, lactis, vini, & tepidioris sanguinis. Sed nostrum non erat institutum de his agere, neque hoc requirebatur ab amicis, in quorum gratiam hæc ita repente dictauimus; sed solum quo pacto deficientibus balneis metallicis possint sibi ipsis similia illis arte comparasse, quando plurimi ipsorum discedentes ex his locis debeant migrare ad alia, ubi hæc à natura facta non habeantur. Et ita terminabitur, quem intendimus, sermo de balneis metallicis arte comparatis.

FINIS.

INDEX RERVM.

Adstringentia neutiquam decoquenda. 36.
Æs. 6. 33
Aerea aqua. 32
Aethna. 28
Althæa. 20
Alumen. 6. Liquidum. 23.
Alumen perit. 2. 45.
Rotundum, sive Roccæ. 4.
Scissile, plumæ. 23
Aluminosa aqua ut parandæ. 22. earum vis. 25. Cautio in usu. ibid.
Anethum. 20
Aphrontrum. 24
Aponitana aqua. 7. 26. 35
Aquæ metallicæ. 2. signa. 6. & generatio 13. earumq; ortus 9. discrimen. 3. 4. proprietas. 3. usus. 13. notitia. 8. contenta. 15. incommoda. 15. succedaneæ. 10
Subterraneæ. 5
Naturales efficaciores. 11
Aqua metallica vitro frigida 3. unde calida. 5. suscipit qualitates metallorum à terra. 4. Naturalis coctione vim perdit. 14
Aqua metallica arte parata. 10. non est potui, sed balneis, & stillicidiis. 11. tutius administratur, quã naturalis. 12. facilius putrescit. 42
Aqua balneis apta. 17
Aqua pura & impermixta est materia medicinarum. 16. Maritima salsa. 23
Aquæ Calderianæ. 3. 33
Aquæ acquirunt virtutem metallorum. 33
Aquæ metallicæ non fiunt decoctione, sed extinctione metallorum. ibid.
Argenteæ & aureæ nõ sunt in usu. 7
Argenteæ aquæ. 32. & aureæ, rarę. 35
Argentum. 6. 38.
Argentum vivum. ibid.
Aristolochia. 32
Ars naturæ imitatrix. 9
imperfecta. 11
Asphaltus. 7. 29
Aurum. 6. 33
Autoris institutum. 2. 45

Balnea metallica. 2
Succedanea. ibid.
Montis Ægrotorum. 7. 8.
S. Helenæ. 7. 26
S. Petri.

S. Petri. 7. 23
Noua domus neglecta. 24
Balnea artificialia diuersa. 45.
Balneorum conficiendorum modus. 17. artificialium usus, qui naturalium 37. Cautio in usu. 38
Balnea arte parata minus calefaciunt, quam naturalia. 38. naturalibus mitiora. 39. usu discrepant. ibid.
In balneis mora. ibid.
Balnea sulfurea arte parata. 19
Balnea ex pluribus metallis parata. 34. virtutes diuersas habent integras. 36
Betonica. 20
Bitumnosæ aquæ. 26. confectio. 32. usus. 31. 32
Calderiana aqua 3. 6
Caliditas aquarum naturalium, & arte factarum. 42
Cera. 31
Chalcanthi origo. 7
Calcis & cineris aqua sit minor. 28
Cineris origo 5. 27.
Cinis non reddit aquam metallicam. 6
Diuisio aquarum artificialium. 41
Durabiles partium aqua sulfurea cũ herbis parata. 22
Experientia parata balnea. 3
Fabrorum aqua. 34
Ferri origo. 32
Ferreæ aquæ. 33
Fontes Aristoteli. 4
Famosa balnea. 42
Galeni sententia explicatur. 10. 45
Herbis quomodo aquæ sulfureæ parentur. 18. 20. & quibus. 21. etiam sulfuginosæ. 26.
Hippocrates balnea omisit. 15.
Hydropis remedium. 25
Indicationes. 1
diuersæ. 19
his. 32
Lacus Cypri salsus. 24
Lutum S. Bartholomæi 7. 29. montis Ortoni. 29. 30. Aegrotorum. 29
Arte difficulter confectum. 30
Eius usus. 32
Materia recipiens virtutem metallorum. 13
Menstrua superfluis. 25
albis. ibid.
Metallorum ortus. 32. species. 6. dignatio. 8. proportio

INDEX RERVM.

tio ad aquam. 35. unde sumta. 37. Decoctio ordinata. 36
Metalla balneis commoda. 17. non diu coquenda. 18
Mons Aetna. Vesuuius. 5
Mutinensis agri aqua 5. cinis. 28
Myrti bacca in balneis. 12

Nitrum. 6. 24. 26
Nitrosæ aquæ. 24. 26
Cautio in usu earum. 27

Odor aquarum metallicarum. 3
Oedema. 20

Paralysis. 20. 26
Pix. 30
Plumbum. 6
Pontifici vectigal impeditum. 23
Puteoli. 28

Qualitatū in aquis metallicis materia susceptiua. 3
Qualitates tangibiles. 4
Quantitatis virtualis in aquis metallicis moderatio. 13

Ratione parata balnea. 3.
Resina. 31

Sapor aquarum metallicarum. 3
eius origo. 16
Sal. 6
Salsa natura aqua. 23. agri Patauini. 25 arte. 24. 25
Cautio in harum usu. 25
Salina. 20
Seminarium Galeno, aqua metallica. 4
Stannum. 6
Stillicidium balnei artificialis, & naturalis. 39
Stupor. 20
Suffumigium. 43. eius usus. 44. abusus. ibid.
Sulfur. 6. eius materia. 19. viuū balneis aptū. 17. eius proportio ad balnea. 21
Sulfurea aqua maxime desiderata. 23
Sulfurea aquæ mitiores. 19
vis. 20
decoctio. 22
Sulfureæ aquæ facultas. 19.

Tempus administrandi balnea. 39
Terra pix difficulter permiscetur. 30

Vaporū generatio. 42
Vapor humidus, & siccus. 43. eius vsus. 44
Volaterrani agri aqua. 26
Vtero apta aqua sulfurea. 21.

ΔΩΡΟ ΚΕΙ ΠΕΙΡΟ.

2 1065
957814

MC